



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio V. Ex quarum rerum cognitione vel amore procedant Verbum &
Spiritus Sanctus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Solutio
probatio-
num.

Ad probationem distinguitur antecedens, tota ratio cur inter personas diuinas dicatur esse oppositio, est quia una producit aliam, ut principium (quod) concedo, ut principium (quo) n. go. Ratio disparitatis est quia principium quod non identificatur cum illo quod distinctum sit realiter à termino producto; principium autem (quo) quamuis non distinguatur realiter à termino producto, est tamen identificatum cum aliquo quod distinguitur realiter à termino producto. Nego igitur omnes rationes quæ probant principium (quod) esse distinctum, probare quod distinctum etiam sit principium (quo) terminus enim productus non opponitur principio (quo) sed tantum principio (quod) quia principium (quo) licet indistinctum realiter, identificatur tamen alicui distincto, id est est virtualiter multiplex: principium autem quod si non esset distinctum realiter, non identificaretur cum actione distincta realiter à termino: quia principium (quo) includit principium & actionem.

Instantia.

Instabis ubi est oppositio ibi est distinctio, sed non minus est oppositio inter principium (quo) & terminum, quam inter principium (quod) & terminum, cum tota oppositio fundetur in productione.

Resp. totam oppositionem fundari in productione principij (quod) quia illud includit ipsam productionem, non autem in productione principij (quo) quia illud præcendit à productione; sumitur enim præcisè ut principium. Nego igitur principium (quo) habere relationem ad terminum cum quo identificatur, eiusdem enim ad se ipsum non est relatio, sed sufficit quod identificetur cum aliquo habente relationem; quidquid enim producit vel habet relationem, vel identificatur alicui habenti relationem.

Concludo itaque, totam solutionem in hoc consistere quod necesse sit principium productuum terminari, quodcumque illud sit, siue (quo) siue (quod) distinguatur à termino producto, si non identificetur cum actione distincta à termino producto, quia tunc illud principium non erit virtualiter multiplex neque habebit aliquid in quo posset fundari oppositio & distinctio si autem principium (quo) identificetur actioni distinctæ à termino producto non necessarium est distinctum quia est multiplex virtualiter & sufficienter præsupponitur termino producto.

Ad secundam Resp. intellectionem non posse realiter producere paternitatem, quia intellectio non identificatur cum actione illa quæ posset esse productiua paternitatis, sicut identificatur cum aliquo quod producit filiationem tanquam vera eius origo. Ad confirmat. nego rationes omnes quæ probant originem actiuam distinguatur à termino, probare quod principium (quo) distinguatur à termino. Nam origo actiua id est distinguitur à termino quia est constitutiua personæ distinctæ realiter à termino, principium autem (quo) non est constitutiuum.

Ad tertiam Resp. intellectionem solitarie sumptam non esse principium (quo) sed intellectionem prout connotat in obliquo relationem ut conditionem, seu intellectionem prout est in patre, quemadmodum si calor idem esset in duplici igne quorum alter Lugduni approximatus esset stupæ alter autem Romæ non esset illi approximatus, certe ille calor prout connotaret Lugduni stupam proximam, combureret & Romæ non combureret ex defectu proximitatis. In quo sensu à Doctoribus dici solet, quod intellectio specificatiue essentialis, scilicet, illa quæ essentialis est, reduplicatiue ut notionalis est productiua, id est prout propria est propter connotationem relationis, quia intellectio notionalis est ipsa intellectio essentialis, prout determinata per relationem tanquam conditionem sine qua non est propria. Ratio autem cur intellectio prout connotans relationem possit esse pro-

pria vnius personæ, non autem omnipotentia prout connotans relationem, est quia principium productiui ad intra cum sit productiui personæ productæ, non potest conuenire personæ productæ, id est quæ potest connotare relationem personæ producentis ut conditionem. At verò principium productiui ad extra cum non sit productiui personæ diuinæ, nulla est ratio cur non conueniat omnibus personis, atque adeo cur connotet unam relationem potius quam aliam, & hæc est ratio, cur intellectio, & volitio possint esse notionales, non autem omnipotentia.

Ad quartam Resp. sufficere ut agens agat actione, non esse necesse ut agat ipsam actionem, quod admittere in creatis necessario debent omnes qui dicunt actionem esse in ipso agente. Deinde dico prorsus sufficere ut actio sit saltem virtualiter à principio quod realiter producit terminum: relatio autem paternitatis virtualiter producit ab intellectione.

Solutio
quartæ.

SECTIO V.

Ex quarum rerum cognitione, vel amore procedant Verbum, & Spiritus Sanctus.

Posito quod cognitio sit principium formale productiui Verbi, & amor principium productiui Spiritus Sancti, controuersia inter Theologos celeberrima est, de obiecto ad quod terminatur formaliter, & per se cognitio illa prout est productiua Verbi, & amor prout producit Spiritum Sanctum; cum enim cognitio illa identice terminetur ad omnia tum increata, tum creata merito queritur utrum Verbum producat ex cognitione prout formaliter tendit in essentiam, personas, & creaturas omnes, tum possibiles, tum etiam futuras, & existentes. Primò, ergo disputandum est de cognitione omnium quæ sunt in Deo. Secundò, de cognitione creaturarum. Quod idem de amore respectu Spiritus Sancti debet dici.

Status con-
trouersia.

S. I.

Utrum Verbum diuinum producat per cognitionem omnium eorum quæ sunt in Deo.

EX cognitione nimirum essentie attributorum, & personalitatum, atque adeo ex cognitione sui ipsius, & Spiritus Sancti; hæc enim omnia sunt in Deo.

Ratio autem dubit. primò est, quomodo Verbum procedere possit ex cognitione sui ipsius & Spiritus Sancti, quin sit posterius & se ipso & Spiritu Sancto.

Secundò, si Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti sequeretur quod Verbum procederet à Spiritu Sancto; quod enim procedit à cognitione procedit etiam à principio cognitionis, Verbum procedit à cognitione Spiritus Sancti, ergo procedit à Spiritu Sancto qui est principium huius cognitionis.

Tertiò, sequeretur Verbum esse imaginem Spiritus Sancti; repræsenteret enim Spiritum Sanctum & eius cognitionem.

Dico primò, Verbum diuinum procedit per se formaliter ex cognitione perfectissima, & comprehensiuum totius essentie diuinæ omniumque attributorum.

Hæc conclusio quatenus asserit Verbum procedere ex cognitione totius essentie ac attributorum aduersarium habet neminem, quia si Verbum procedit ex cognitione alicuius obiecti certe procedit ex cognitione obiecti perfectissimi quod est essentia, quatenus autem docet Verbum procedere ex cognitione adæquata & comprehensiuum fundamentum est omnium dicendorum, id est quæ.

Probatur primò quia, Verbum diuinum procedit ex cognitione omnium perfectissima, & quæ non potest

vlla

ulla excogitari perfectior, cognitio comprehensiva huiusmodi est, ergo verbum procedit ex cognitione comprehensiva. Probatur maior, quia procedere ex cognitione perfectissima melius est, quam procedere ex cognitione minus perfecta, ergo verbum quo nihil melius potest excogitari procedit ex cognitione omnium perfectissima. Deinde verbum quod comprehensivè repræsentat essentiam, per se formaliter procedit ex cognitione comprehensiva essentia, sed verbum divinum comprehensivè repræsentat essentiam, probatur quia verbum adequatum, & comprehensivum melius est & perfectius quam verbum inadæquatum. Deinde verbum quod exprimit omnia quæ intellectio divina repræsentat, comprehensivè repræsentat essentiam, sed verbum divinum exprimit omnia quæ intellectio divina repræsentat, ergo verbum divinum comprehensivè repræsentat essentiam. Probatur minor, si verbum non repræsentat omnia quæ repræsentat intellectio divina debet dari aliud verbum, quod repræsentat ea, quæ desunt priori verbo; non enim est maior ratio cur intellectio provt repræsentativa vnius obiecti producat verbum, quam provt repræsentativa est alterius obiecti, nam cognitio adequatè sumpta est productiva verbi ut magis postea videbitur.

Verbum procedit ex cognitione Spiritus Sancti & sui ipsius.

Dico secundo, Verbum divinum procedit formaliter ex cognitione trium personarum divinarum, atque adeo ex cognitione sui ipsius, & Spiritus Sancti. Ita communius Theologi asserunt contra Scotum, qui vult cognitionem solius essentia, ac attributorum, esse per se productivam verbi; Scotus autem consentit Vasques quoad personam Spiritus Sancti ex cuius cognitione procedere negat verbum.

Prima probatio.

Ratio tamen primò est, quia verbum procedere non potest per cognitionem comprehensivam essentia divina, quin procedat ex cognitione personarum quæ sine dubio sunt aliquid Dei cum sint subsistentia huius essentia, ac proprius modus existendi eius. Confirm. quia cognitio provt terminatur ad personas non est minus infinita quam cognitio provt terminatur ad essentiam, sed cognitio provt terminatur ad essentiam, exigit essentialiter producere verbum, ergo cognitio provt terminatur ad personas est etiam productiva verbi.

Secunda probatio.

Secundò, si in eo priori originis in quo Pater est prior Filio, & generat Filium, Pater videt Filium & Spiritum Sanctum actu existentes, Verbum procedere potest ex cognitione sui & Spiritus Sancti, quid enim impedit si existat eo instanti, quominus possit procedere, sed in eo priori originis Pater videt existentes Filium & Spiritum Sanctum, ergo Verbum procedere potest ex eorum cognitione. Probatur min. quia prioritas originis non est prioritas in quo etiam rationis, sed tantum prioritas à quo, quia dicit tantum Filium esse à Patre, non autem Patrem esse villo instanti quo non sit Filius; quidquid enim est in Deo est ens necessarium, ergo cognoscitur essentialiter ut actu existens, ergo Pater videt semper Filium & Spiritum Sanctum ut actu existentes, ergo non idè verbum non procedit à cognitione Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus est posterior Verbo, est enim posterior posteritate à quo non in quo, atque adeo existit tunc quando verbum producit.

Tertia probatio.

Tertiò, quamvis verbum procedat ex cognitione sui & Spiritus Sancti non sequitur tamen verbum produci à verbo ipso & Spiritu Sancto; aliud enim est procedere à Spiritu Sancto, aliud procedere à cognitione Spiritus Sancti ut patet. Deinde si cognitio Spiritus Sancti non pendet à Spiritu Sancto, non sequitur Verbum pendere à Spiritu Sancto, quamvis procedat à cognitione Spiritus Sancti, sed cognitio divina non pendet à Spiritu Sancto; non enim pro-

prie habet obiectum motuum, ergo non sequitur Verbum pendere à Spiritu Sancto, si procedat à cognitione Spiritus Sancti. Hinc

Ad primam Resp. negando sequi quod Verbum sit posterius se ipso & Spiritu Sancto, si procedat ex cognitione tum Verbi, tum Spiritus Sancti, quod magis constabit ex statim dicendis de cognitione creaturarum.

Ad secundam Resp. Spiritum Sanctum non esse obiectum huius cognitionis nisi terminativum ideoque non esse illius principium, quamvis ergo Verbum procedat ex cognitione Spiritus Sancti, non sequitur quod procedat à Spiritu Sancto.

Ad tertiam nego sequi Verbum esse imaginem Spiritus Sancti, quia licet Verbum procedat à cognitione Spiritus Sancti cogniti, non procedit tamen à cognitione Spiritus Sancti cognoscentis, ad rationem autem imaginis requiritur productio.

§. II.

Utrum verbum producat per cognitionem omnium creaturarum.

MAior de cognitione creaturarum tum possibilem, tum præsertim existentium controversia est, & maior dubitandi ratio. Primò ex eo quod creaturae sint contingentes. Secundò, ex eo quod verbum sit illis prius. Tertiò, ex eo quod decreta libera non possint communicari, quæ tria difficillimè videntur explicari posse.

Dico quartò, Verbum divinum procedit formaliter ex cognitione creaturarum omnium saltem possibilem, ita docent multi quos dabant Suarez, Molina, Becanus contra Scotum, Vasques, Arrub.

Ratio est, quia cognitio Dei comprehensiva extenditur ad creaturas posibles cum sit cognitio adequata, sed Verbum procedit ex cognitione comprehensiva, ergo procedit ex cognitione creaturarum possibilem, quod magis confirmatum manebit ex sequentibus.

Dico enim quartò, Verbum divinum procedit ex cognitione omnium creaturarum etiam existentium, & contingenter futurarum, atque ita procedit ex tota scientia simplici, & media, & visionis, ita post S. Th. quæst. 34. art. 1. & quæst. 37. art. 2. docent communius Thomistæ, Valentia, Zuniga, Ruiz, Arriaga contra Caiet. Zumel, Bannem, Molinam, Suar. Vasq. contra quos efficaciter licet argumentari.

Primò ex cognitione comprehensiva Dei, nam illa includit scientiam etiam contingentium, siue futura sint, siue existentia, sed Verbum ut sæpe dixi procedit ex scientia Dei adequata & comprehensiva, ergo procedit ex cognitione futurorum, & existentium. Maior prob. quia ut Deus comprehendatur, necesse est ut cognoscantur omnes eius communicationes & connexiones, & totum quod est aliquid Dei, sed creatura actu existentes non minus sunt aliquid Dei, quam creaturae posibles, ergo cognitio Dei comprehensiva includit creaturas actu existentes. Conf. primò, quia cognitio comprehensiva est quæ Deus cognoscitur quantum est cognoscibilis, sed perfectius cognoscitur quando cognoscitur cum creaturis existentibus, & possibilem quam si cognoscatur cum solis possibilem, ergo, &c. Confirm. secundò, sicut potentia perfectissima illa est, quæ respicit omne producibile, ita scientia perfectissima est illa quæ respicit omne scibile, sed Verbum procedit ex scientia perfectissima, ergo procedit ex scientia quæ respicit omne scibile.

Neque dicas primò, si creatura non actu existeret Deus se ipsum tamen comprehenderet, ergo Dei comprehensio non includit cognitionem creaturarum existentium, distinguo conseq. non includit ab-

solutè concedo, non includit ex suppositione quod existant nego, quia ex suppositione quod existant iam sunt aliquid Dei.

Secunda conclusio. Neque dicas secundò, cognitionem comprehensivam in illo priori non includere aliud, quam cognitionem essentia, Verbum autem diuinum procedere ex comprehensione Dei, prout est comprehensio in illo priori originis, non autem prout est comprehensio in posteriori originis.

Sed contra, primò enim si verbum non procedit ex tota Dei cognitione, non est simpliciter infinitum in ratione verbi, sicut scientia non esset infinita simpliciter in ratione scientia, si non repræsenteret omnia, & potentia non esset infinita simpliciter in ratione potentia, si aliquid esset possibile quod tamen non posset producere, ergo si Verbum non procedat ex cognitione omnino adæquata non erit infinitum in ratione verbi, deinde dari debet aliud Verbum procedens ex reliqua Dei cognitione.

Secunda probatio. Secundò, argumentor, quia nulla est scientia in Deo quæ non sit productiva verbi, ergo scientia libera est etiam productiva verbi, ergo vel est in Deo multiplex verbum, vel Verbum diuinum procedit ex scientia libera. Probo antecedens, idèd aliqua scientia in Deo est productiva Verbi substantialis quia est infinita, sed scientia libera est infinita, ergo est productiva verbi substantialis.

Tertia probatio. Tertiò Verbum diuinum expressivum est eorum omnium quæ repræsantantur in scientia Dei, ergo Verbum procedit ex cognitione omnium. Probo antecedens, quia si non esset expressivum eorum omnium sequeretur excogitari posse aliud verbum eo maius atque perfectius, quia exprimere omnia perfectius est quam exprimere tantum aliqua, hinc August. lib. 6. de Trinit. c. 10. *Vocat Verbum perfectum cui non desit aliquid, & artem quandam omnipotentis Dei, plenam omnium rationum viventium, & commutabilium, & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum, ibi novit omnia Deus quæ fecit per ipsum, & lib. 15. de Trinit. c. 14. Non enim se ipsum integrè perfectèque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo quam in ipso. Quidquid enim in ea scientia est de qua genitum est in ipso est, quod autem in ea non est nec in ipso est, novit itaque omnia Deus Pater, in se ipso novit in Filio, sed in se ipso tanquam in se ipso, in filio autem tanquam Verbum suum, quod est de omnibus quæ sunt in se ipso.* Zeno Veronensis serm. 1. de æterni Verbi generat. *Nascitur de toto totus, de perfectò perfectus, totum Patris habens, nihil derogans Patri.* Confirm. quia omnes rationes quæ probant scientiam Dei per se formaliter repræsantare contingentia ex suppositione quod sint, probant etiam verbum exprimere illa eadem.

§. III.

Difficultates in oppositum.

Prima difficultas. Prima petitur (vt dixi) ex contingentia creaturarum. Verbum diuinum est simpliciter necessarium, ergo processio eius est simpliciter necessaria, consequentia prob. quia principium non potest esse magis necessarium, quam principium à quo est, ergo si principium est contingens, verbum etiam est contingens. Imò illud est contingens quod producitur liberè, si Verbum procedat per scientiam liberam, producit liberè, ergo Verbum erit contingens. Confirm. quia si creaturæ omnes essent non futuræ, Verbum diuinum idem omnino esset ac nunc est, ergo non procedit ex cognitione creaturarum existentium, & futurarum.

Eius solutio. Resp. eodem argumento probari posse, nullam in Deo esse scientiam liberam terminatam ad futura, & existentia, sequitur enim non esse necessariam quia si non essent hæ creaturæ non esset hæ scientia. Resp.

ergo quod in Verbo & scientia Dei duo distingui debent, primum est entitas ipsa Verbi & scientia diuina, quæ omnino eadem esset, quamvis creaturæ omnes essent impossibiles. Secundum est, terminatio ad obiecta quæ contingens est si obiecta sint contingentia. Itaque distingo primum antecedens verbum diuinum est simpliciter necessarium, entitatiuè concedo, quoad terminationem & expressionem, nego. Sicut ergo principium verbi est simpliciter necessarium quoad entitatem, non quoad expressionem, sic & ipsum Verbum diuinum quod non producitur liberè secundum entitatem, sed quoad terminationem extrinsecam ad obiecta contingentia quorum est expressivum.

Ad confirm. eadem est responsio, si nulla esset creatura verbum esset idem secundum entitatem, non secundum terminationem.

Instabis si verbum procedit ex cognitione contingentium, sequitur quod generatio Verbi exigit intrinsecè ac quidditatiuè talem cognitionem, ergo sublatà tali cognitione, implicat Verbum manere substantialiter; vel enim Verbum secundum suam entitatem procedit à scientia libera, vel non procedit, si primum ergo sublatà illà scientiā, non manet secundum suam entitatem.

Resp. disting. maiorem, sequitur Verbum intrinsecè exigere talem cognitionem absolutè nego, ex suppositione quod sit, concedo. Ad probationem dico Verbum procedere secundum entitatem à scientia libera vt libera, ergo desinente scientiā liberā secundum entitatem, Verbum desineret concedo, desinente autem scientiā liberā secundum terminationem, Verbum desineret secundum entitatem nego; eodem enim modo desineret verbum quo desineret scientia.

Secunda difficultas erat ex prioritate diuini Verbi: scientia libera cum sit purè speculatiua & intuitiua præsupponit obiectum suum vt iam existens, ergo si verbum præsupponit scientiam liberā tanquam principium à quo est, præsupponet etiam creaturas existentes, ergo prius erit creaturam esse futuram, quam Verbum esse. Idem dico de Spiritu Sancto, nam cognitio speculatiua Spiritus Sancti supponit illam existentem, ergo prius existit Spiritus Sanctus, quam Verbum sit: Imò de ipso verbo, nam cognitio verbi vt existentis est posterior verbo ipso sicut cognitio mundi existentis, est posterior ipso mundo, ergo cognitio Verbi existentis non producit Verbum. Confirmat. primò, quia prius Verbum est genitum quam sint merita Christi, quæ dignificantur ab ipso Verbo, ergo Verbum non potest procedere à cognitione illorum meritorum. Confirm. secundò, quia prius Deus cognoscit essentiam, quam creaturas, in illo priori cognitio eius est fecunda, & producit verbum, ergo prius producitur verbum, quam creaturæ cognoscatur.

Ad hoc argumentum quod præcipuè virget in hac materia video responderi variè à Doctoribus. Primò enim dicitur, personas diuinas, & creaturas in esse cognito seu in ratione obiecti esse priores ipso verbo actu productò, quamvis in esse reali, seu in ratione termini sint posteriores ipso verbo actu productò & existente. Sed hoc non satisfacit, quia creatura vt est obiectum cognitionis speculatiuæ ac intuitiua præsupponit creaturam realiter futuram in ratione termini seu in esse reali à parte rei, ergo si personæ diuinae, & creaturæ in ratione obiecti sunt priores quam productio verbi, sunt etiam priores in ratione termini, seu in esse reali: Cognitio enim intuitiua, & speculatiua semper supponit suum obiectum in esse reali existens aut futurum, quia prius est futurum realiter quam cognoscatur futurum.

Alij secundò absolutè negant obiectum esse prius cognitione, quia in Deo non est propriè obiectum motuum

Instantia.

Secunda difficultas ex prioritate diuini Verbi.

Prima solutio.

Secunda solutio.

motuum sed terminatum duntaxat quod non est prius cognitione. Neque hoc satisfacere potest, quia scientia speculativa sine dubio præsupponit suum obiectum, v. gr. prius est me cras esse peccaturum, quam videri à Deo quod sum peccaturus, idè enim videt me peccaturum, quia sum peccaturus, ergo cognitio speculativa creaturarum præsupponit creaturas futuras.

Tertia
solutio.

Tertiò, alij dicunt non esse necesse ut inter scientiam speculativam & obiectum sit prioritas in quo quia non est necesse, ut obiectum existat aliquo instanti, quo non existat cognitio Dei, sed sufficere prioritatem à quo saltem virtuale, & rationis, quia semper verum est dicere, idè videtur res existens, quia est existens, atque ita Verbum esse posterius creaturis, non posterioritate in quo, sed à quo. Hoc etiam impugnari multipliciter potest, quia sequitur quod Verbum est prius se ipso prioritate à quo, cum sit prius cognitione à qua procedit. Deinde sequitur Spiritum Sanctum esse aliquo modo priorem Verbo, quod est multo magis absurdum de creaturis, quod scilicet illa sint aliquo modo priores Verbo. Deinde sequitur quod Verbum saltem remotè producit se ipsum, & quod Spiritus Sanctus, imò creaturæ causant etiam illud remotè, nam esse prius prioritate à quo est esse principium alterius, per te creaturæ sunt priores prioritate à quo quam cognitio, ergo sunt principium cognitionis, quæ producit Verbum, ergo sunt etiam principium ipsius Verbi.

Verior
solutio.

Respondendi ergo melius potest distinguendam esse in Verbo entitatem, & terminationem ad obiecta, Verbum secundum entitatem sine dubio est prius creaturis futuris, & cognitione tàm ipsius Verbi, tàm Spiritus Sancti, & creaturarum, quia fateor cognitionem speculativam esse posteriorem obiecto suo siue necessaria sit siue libera. Vnde absolute cõceditur antecedens, distinguo autem consequentiam, ergo si Verbum præsupponit cognitionem futurorum supponit etiam futura, Verbum secundum entitatem supponit futura, nego; Verbum secundum inadaquatam terminationem supponit futura, concedo: quia certè prius est rem esse futuram, quam representari à Verbo ut futuram, sicut prius est rem esse futuram, quam illam sciri à Deo ut futuram. Similiter Verbum secundum terminationem ad Spiritum Sanctum, est posterius Spiritu Sancto, quia prius est Spiritum Sanctum esse, quam illum representari à Verbo, idemque verum est de creaturis & de Verbo ipso; cognitio enim Verbi existentis prior est Verbo ut exprimente se ipsum existens.

Ad primam Confirm. distinguo antecedens Verbum est prius genitum, secundum entitatem absolute, quam sint futura merita Christi concedo, est prius genitum, secundum terminationem ad merita illa, nego: ideoque verbum ut expressum talium meritorum procedit à cognitione talium meritorum, & ut sic est illis posterius.

Ad secundam confirm. disting. minorem in illo priori cognitio Dei est secunda & producit Verbum propt Verbum est adæquatè comprehensum essentia, seu secundum totam terminationem, nego, propt inadaquatè comprehensum, & secundum entitatem, concedo.

Instantia.

Instantis cognitio Verbi existentis producit Verbum, ergo est prior Verbo existente, & tamen in illo posterior cum sit speculativa. Præterea sequitur hinc plura in Deo, imò infinita admitti debere verba quorum vnum supponat aliud, & sit reflexum supra aliud, nam cognitio Verbi existentis supponit Verbum existens, & est illo posterior, hæc cognitio est secunda, ergo est productiva Verbi, & ita in infinitum.

Resp. disting. antecedens, cognitio Verbi existentis producit Verbum secundum terminationem adæquatè sumptam, nego, secundum terminationem inadaquatè sumptam, concedo. Nam Verbum existit primò per cognitionem essentia diuinæ, & ut sic existens est prius cognitione sui ut existentis, quæ cognitio Verbi ut existentis producit Verbum ut reflexè representans se ipsum existens: idèque Verbum sub diuersa formalitate prius est, & posterius cognitione sui ut existentis. Neque hinc sequitur plura in Deo esse verba, sed vnicum Verbum diuersas habens terminationes. Nego tamen infinitas admitti posse in Verbo reflexiones, sicut eas negavi admitti posse in scientia quia cum Verbum sit infinitum vnà simplici formalitate directum est & reflexum.

Altera
instantia.

Neque dicas hinc sequi, Verbum adæquatè sumptum esse posterius Spiritu Sancto, quia cognitio Spiritus Sancti ut existentis est prior verbo cum illud producat, & est posterius Spiritu Sancto, quia est cognitio speculativa Spiritus Sancti.

Resp. Verbum sumptum secundum entitatem esse prius Spiritu Sancto secundum entitatem, sed Verbum secundum aliquam terminationem esse posterius Spiritu Sancto secundum entitatem, ut rectè probat argumentum.

Tertia
difficultas.

Tertia difficultas perebatur ex eo quod Verbum diuinum prius sit, quam scientia, & decreta libera, vnde argumentor: si Verbum produceretur per scientia liberam, sequeretur scientiam liberam prius esse in Deo, quam Verbum produceretur, consequens est absurdum, quia si scientia libera esset in Deo ante productionem Verbi sequeretur decreta libera esse in Deo ante productionem Verbi; scientia enim libera supponit decretum, atque ita si scientia libera est prior, decretum est prius, sed decreta non sunt in Deo prius quam Verbum generetur. Primò, quia in Deo naturalia sunt priora liberis, ergo generatio Verbi est prior decretis liberis. Secundo, si decreta sunt in Deo ante generationem, & inspirationem sequitur quod decreta communicantur Verbo in ipsa generatione, sed hoc implicat, quia sic decretum non esset liberum respectu Verbi cui communicatur, nam ille actus non est liber Verbo, ad quod Verbum non se liberè determinat, sed recipit decretum à Patre non se determinat ad illud decretum, ergo, &c. Tertiò sequitur Verbum esse posterius Spiritu Sancto, quia decretum quo spiratur Spiritus Sanctus, prius est in Deo quam ipsum Verbum.

Resp. Scientiam liberam & decreta prius esse in Deo quam Verbum generetur, & illa non minus communicari Verbo per generationem, quam scientiam simplicem, & amorem necessarium: sicut enim essentia prius origine, est in Patre quam in Filio, sic etiam scientia libera, & decreta, prius origine sunt in personis producentibus, quam in personis productis, alioqui falsum esset quod Filius haberet omnia à Patre, & quod ea tantum loquitur quæ audiuit à Patre. Vnde Ad primum Resp. naturalia essentialia semper esse priora liberis, non autem naturalia quæ sunt personalia, nam ista sunt liberis posteriora.

Eius
solutio.

Ad secundum concedo decreta communicari personæ productæ à persona producente, neque hinc sequitur decretum non esse liberum respectu personæ productæ, quia ut voluit aliqua sit libera non est necesse ut sit libera personalitati, sed sufficit ut sit libera naturæ talis personalitatis; si enim natura Petri liberè volens communicaretur supposito Pauli, Paulus etiam liberè vellet, cum ergo decretum sit liberum naturæ diuinæ, quæ communicatur Filio, est etiam liberum Filio.

Ad tertium Respond. decreta libera, ut sint priora Verbo, non esse productiva Spiritus Sancti, quia non sunt

sunt productiua Spiritus Sancti nisi prout sunt determinata per relationem Patris, & Filij, vel etiam per relationem spiratoris quæ debet esse in Patre & Filio.

SECTIO VI

De relationibus personarum diuinarum.

S. Thomas, quæst. 28.

Explicatis processionibus, & principio productiua diuinarum personarum, sequuntur earum relationes, quibus solis differunt, videntur autem dici posse de illis quatuor. Primò, earum existentia & quidditas. Secundò, numerus & distinctio. Tertiò, perfectio. Quartò, quamnam prædicata diuina multiplicentur multiplicatis relationibus.

§. I.

Existencia, & quidditas relationum diuinarum.

Relatio
quid sit.

Certum est primò, nomine relationum vulgò intelligi formas quibus vna res aliam respicit, & cum illa comparatur: vnde fit vt duplex in qualibet relatione distingui debeat esse, alterum est esse (in) alterum est esse (ad) quia relatio cum sit habitudo vnus ad aliud, necessariò est in subiecto, & respicit aliud, quod vtrumque fictum non est sed reale, quia vnum realiter ordinatur ad aliud, & cum illo comparatur, hæc autem comparatio includit subiectum, fundamentum, rationem fundandi, & terminum, subiectum dicitur id in quo est relatio, seu id quod respicit aliud: fundamentum, id ratione cuius subiectum respicit aliud: terminus id quod respicitur: ratio fundandi, est aliquid requisitum vt vnum respiciat aliud.

Quorū
plex sit.

Certum est secundò, relationes alias vocari prædicamentales, quæ sunt puri respectus vnus ad aliud, id est quarum totum munus est referre vnum ad aliud; respiciunt enim terminum sub ratione pura termini: alias autem esse transcendentales quæ sunt essentielles, & respiciunt terminum vt causam, vel effectum.

Prima
dubitatio.

Ratio ergo dubitandi est primò quia, illæ relationes si sunt in Deo, vel sunt prædicamentales vel sunt transcendentales: non primum, quia Deus non est in prædicamento. Deinde relatio categorica prout differt à transcendentali est accidentalis, respicit terminum purè vt terminum, quæ non conueniunt diuinis relationibus: sed neque sunt transcendentales, quia paternitas & filiatio relationes sunt categoricæ.

Secunda.

Secundò, si sunt in Deo relationes illæ respiciunt necessariò terminum, vt correlatiuum; nihil enim est in Filio quo respiciatur, & distinguatur à Patre præter correlationem, consequens absurdum est, quia in creatis idè relatio non respicit terminum vt correlatiuum, quia daretur circulus; Filius enim definiretur per Patrem, & Pater per Filium, hoc autem idem absurdum in Deo reperiretur, ergo non sunt in Deo relationes.

Tertia.

Tertiò, si sunt in Deo relationes debet dari aliquod earum fundamentum, & aliqua ratio fundandi, sed neutrum reperitur, quia relationes hæc subsistentes sunt, imò subsistentiæ, ergo ipsæ suum sunt fundamentum, ratio autem fundandi videtur non posse assignari.

Conclusio
affirmans.

Dico primò, inter diuinas personas admittendæ omnino sunt relationes veræ ac propriæ, quæ optime definiri possunt, perfectiones substantiales personarum diuinarum propriæ, per quas vna respicit aliam, & cum illa comparatur tanquam principium vel principiatum. Ita tanquam certum ex fide supponunt omnes Theologi, & probant ex Concilijs, & Patribus Suarez l. 5. c. 1. Ruiz disp. 9.

Ratio est quia, paternitas, & filiatio sunt relatio-

nes reales, certum est ex fide quod paternitas & filiatio verè conueniunt Deo, ergo sunt in eo relationes. Deinde personæ diuinæ non habent realem distinctionem, nisi ratione oppositionis, non est autem in diuinis oppositio vlla nisi relatiua.

Ad primam Resp. relationes diuinas esse transcendentales, simul, & quasi prædicamentales. Ratio est quia, sunt essentielles & constitutiua diuinarum personarum, sunt reales productiones respiciuntque terminum sub ratione principij, aut principij quod est proprium relationum transcendentium; & nihilominus sunt paternitas, & filiatio, quæ sunt relationes categoricæ fundatæ in actione; sed dixi tamen illas esse quasi prædicamentales, quia Deus non est in prædicamento. Neque verò relationes hæc prædicamentales distinguuntur à transcendentalibus, sed eadem omnino sunt, etiam per rationem, quia processionibus tum actiua, tum passiva, sunt formaliter relationes ipsæ personarum producentium, & productarum, neque in Deo plures sunt relationes quam quatuor.

Solutio
primæ dubitationis.

Ad secundam Resp. relationes diuinas in eo differre à relationibus creatis, quod relationes creatæ prædicamentales respiciunt terminum tanquam aliquid absolutum, nam terminus relationis creatæ non est filiatio, sed homo genitus; relationes autem diuinæ respiciunt terminum vt correlatiuum, quia relatio est aliquid distinctum à termino quem respicit, personæ autem diuinæ, solis distinguuntur relationibus, ergo sola relatio potest esse terminus relationis diuinæ: in creatis autem aliter res habet, quia relatio non distinguit, nec constituit personas relatas, sed supponit eas iam distinctas, & constitutas. Argumentum autem de circulo, vbi videtur Filius definiri per Patrem, & Pater per Filium ex sequentibus dissoluitur.

Solutio
secundæ.

Ad tertiam Resp. in diuinis relationibus dari fundamentum, & rationem fundandi, nam essentia cum sit radix relationes omnes continens vocari potest earum fundamentum licet minus propriè, quia relationes istæ sunt subsistentes: ratio verò fundandi est ipsa origo passiva personæ productæ, sub ratione viæ ac fluxus, quia sic dici potest fundare relationem personæ producentis, & productæ.

§. II.

Numerus, & distinctio relationum diuinarum.

Posito quod verè in Deo sint relationes merito, quæritur quot illæ sint, & posito quod illæ sint quatuor quomodo illæ inter se sint distinctæ.

Prima dubitatio.

Ratio enim dubitandi est primò quia, multò plures quam quatuor videtur excogitari posse relationes inter personas diuinas, nam v. g. relationes identitatis, similitudinis, & æqualitatis in natura, sunt in personis diuinis, & relationes dissimilitudinis & distinctionis in persona, imò infinitæ possunt excogitari relationes si vna fundet aliam sicut relatio paternitatis fundat relationem spiratoris, & per illam refertur.

Secundò, pauciores sufficere relationes videntur quam quatuor, nam sicut actio vnica sufficit per quam effectus respicit causam, & causa respicit effectum, sic vnica sufficere potest relatio quæ Filius respiciat Patrem, & Pater Filium. Deinde quamuis Deus producat creaturas, non refertur tamen ad illas, sed creaturæ ad Deum referuntur, ita quamuis Pater & Filius producant Spiritum Sanctum, ad illum tamen non referuntur, sed tantum Spiritus Sanctus ad illos refertur.

Secunda.

Tertiò, non apparet quomodo paternitas & spiratio actiua, esse possint duæ relationes, & tamen esse indistinctæ

Tertia.